340

CONCLUSIO
ET
CENSURA
SACRÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ PARISIENSIS IN F. FRANCISCUM MALAGOLA ET IN EJUS DOCTRINAM.

CUM CENSURA JAM OLIM LATA
IN LIBRUM
ANTONII SANCTARELLI.



PARISIIS
Excudebat SEBASTIANUS MABRE-CRAMOISY
Regis Typographus.

M. DC. LXXXII.
CUM PERMISSU.

TITULUS

QUEM

MAJORI SUÆ ORDINARIÆ die Octobris 22. an. 1682. propugnatæ & Sancto Petro dicatæ clanculùm appoſuit F. Franciſcus Malagola, à Sacra Facultate Theologica Pariſienſi damnatus.

DEI VICARIO

AD QUEM CHRISTUS DIXIT, Beatus es, quia non caro & ſanguis, ſed Pater qui eſt in cælis tibi divina myſteria revelavit; ſuper quem ædificata eſt Eccleſia; adverſus quem portæ inferi non prævalebunt; habenti Claves regni cælorum; pro quo Chriſtus rogavit ne deficiat fides ejus; confirmanti fratres ſuos; paſcenti oves & agnos Chriſti; omnia liganti & ſolventi ſuper terram & in cælis, id eſt, tenenti apicem utriuſque poteſtatis.

CONCLUSIO

SACRÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ PARISIENSIS

IN F. FRANCISCUM MALAGOLA ET IN EJUS DOCTRINAM.

FACULTAS poſt relationem Syndici de titulo Theſeos à F. Franciſco Malagola, Prædicatore Italo, primi ordinis Baccalaureo propugnatæ, reo ipſo audito, doctrinam ejus, quâ ſuo in Majoris Ordinariæ Titulo verba Chriſti poteſtatem ligandi & ſolvendi Petro & ſucceſſoribus ejus tradentis explicat de utraque poteſtate ſæculari & eccleſiaſtica, declaravit in idem incidere cum ea quam olim in *Sanctarello* Facultas ipſa damnavit, eamquè jam totidem nominibus damnandam cenſuit *tanquam novam, falſam, erroneam, verbo Dei contrariam, Pontificiæ dignitati odium conciliantem, ſchiſmati occaſionem præbentem, ſupremæ Regum auctoritati à Deo ſolo dépendenti derogantem, Principum infidelium & hæreticorum converſionem impedientem, pacis publicæ perturbativam, Regnorum, Statuum,*

Rerumque publicarum everſivam, ſubditos ab obedientia & ſubjectione avocantem, & ad factiones, rebelliones, ſeditiones, & Principum parricidia excitantem. Nec intendit Facultas probare alia omnia quæ in Theſeos illius titulo habentur, in quo nimirum quædam ſunt ſacræ Scripturæ dicta Sancto Petro, ſeu ſucceſſoribus ejus, à reſpondente Baccalaureo accommodata, quorum accommodatio non probè intellecta decretis Facultatis officeret. Ipſum verò Fratrem Malagola ab ordine Theologico penitus proſcripſit, & è Baccaulaureorum ſuorum albo expunxit, tanquam perjurum, ſeu infracti quod non ſemel, ipſo in Facultatis aditu, & in actuum ſuorum celebratione præſtiterat ſacramenti reum, contumelioſum in regiam Majeſtatem, Facultatis & Decretorum ab illa ſancitorum perfidum contemptorem. Atque ut judicium hoc ſolemnius evadat, Cenſuram cudendam decrevit, eamque typis excudi publicique juris fieri voluit ſimul cum Cenſura *Sanctarelli*, quam repetiit ac renovavit.

Cæterùm cùm totum hocce negotium inde natum intelligeret, quòd titulus Theſeos non fuiſſet, priuſquam prælo mandaretur, patefactus Syndico, qui eum haud dubiè nunquam tuliſſet; ne quid deinceps ſimile contingat, juſſit ut antequam Theſes ullæ in lucem edantur, titulus dicatorius ad apicem, & epigraphe, unà cum poſitionibus ſeu aſſertionibus offerantur

Syndico, nec quidquam publicè prodeat quin ab eo lectum ſit & probatum. Datum in Sorbona die quartâ Novembris an. 1682. in Comitiis ordinariis, lectum die Decembris primâ, & recognitum die ſeptimâ.

De mandato DD. Decani & Magiſtrorum præfatæ Facultatis Sacræ Theologiæ Pariſienſis.

MEMM. TASSIN.

CENSURA

CENSURA
SACRÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ PARISIENSIS
LATA
IN F. FRANCISCUM MALAGOLA ET IN EJUS DOCTRINAM.

CUM nihil ad Reipublicæ Chriſtianæ tranquillitatem magis conferat, quàm ut ſarta ſit & tecta utraque autoritas, Regia ſimul & Pontificia, hoc Chriſti mandato religiosè ſervato, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo:* tum meritò Sacra Facultas Theologica Pariſienſis pro eâ quâ ſemper fuit ad fovendam Eccleſiæ pacem voluntate ac vigilantiâ nihil habuiſſe videtur antiquius, quàm ut ea damnaret dogmata quæ alterutri Poteſtati quod ſuum eſt, inviderent. Hinc in *Lutheranos* & in *Antonium de Dominis* Pontificiam, Regiam in *Sanctarellum* & alios vindicavit: docens in Lutheranos *unum eſſe jure divino ſummum in Eccleſia militante Pontificem cui omnes Chriſtiani parere tenentur;* in Antonium de Dominis *Romanam Eccleſiam jure divino auctoritatem habere in alias Eccleſias,* & eſſe in Summo Pon-

In Articulis Facultatis an. 1542. art. 23.

In Cenſura Ant. de Dominis, prop. 22.

Ibid. prop. 32. 36. 38. &c.

In Cenſura Sanctarelli.

tifice primatum juriſdictionis Petro, cui ſolus ille eatenùs ſuccedit à Chriſto collatum; in Sanctarellum *ſupremam Regum autoritatem à Deo ſolo dependere*, quorum in temporale dominium nemo jus ullum ſibi poſſit arrogare: hocque poſtremum caput ea ſæpè repetiit, imprimis in illa ſolemni declaratione Regi Chriſtianiſſimo oblata anno 1663. quâ *ſeſe ſemper obſtitiſſe* ait *iis etiam qui jus aliquod vel indirectum in Regis Chriſtianiſſimi temporalia* Summo Pontifici adſcriberent.

Eſt verò quod doleat Facultas *antiquam ſuam*, iſto in momento *doctrinam, à qua ſeſe nunquam receſſuram eſſe* illo in publico inſtrumento eſt profeſſa, ab uno è ſuis, & ſuo quaſi in ſinu, oppugnari, hoc ipſo, cui fidem ea ſuam obſtrinxit, regnante LUDOVICO MAGNO Regum omnium potentiſſimo & de fide Catholica optimè merito.

Nimirùm Frater Franciſcus Malagola, Prædicator Italus, primi Ordinis Baccalaureus ab ipſis ſuis Fratribus Conventus Pariſienſis Prædicatoribus improbatus & ad Facultatem delatus, ſua in Theſi Majoris Ordinariæ quam Sancto Petro dicabat, præter titulum quem publicum eſſe voluit, habuit & occultum alterum, in quo utriuſque poteſtatis eccleſiaſticæ & ſæcularis apicem Sancto Petro adſcribebat, & de hac duplici auctoritate ligandi & ſolvendi poteſtatem explicabat his vocibus,

quibus ſuum claudebat Elogium, *Omnia ligenti & ſolventi ſuper terram & in cælis, id eſt tenenti apicem utriuſque Poteſtatis.* Rem nonniſi Actu Majoris Ordinariæ jam celebrato accepit Facultas ex M. Edmundo Pirot Syndico ſuo frequentibus Comitiis ordinariis poſt Miſſam de S. Spiritu pro more habitis, die 4. Novembris an. 1682. cujus audita relatione reum quoque audire voluit, qui pertinaciter coram toto Conventu titulo ſuo ſtetit, explicare pergens, ut ſcripſerat, poteſtatem ligandi & ſolvendi Petro à Chriſto traditam de utraque poteſtate ſpirituali & temporali. Cumque hoc ipſum eſſe deprehenſum ſit, quod olim in *Sanctarellum* damnatum fuerat, cujus in quibuſdam capitibus collectis & cenſurâ proſcriptis, ultimum iſtud habeatur, quod ille *explicaret verba Chriſti, Quodcumque ligaveris ſuper terram, &c. non tantum de poteſtate ſpirituali ſed etiam de temporali* : FACULTAS id iiſdem nominibus in Fratre Malagola percutiendum cenſuit, quibus & olim ipſa percuſſerat in *Sanctarello*, Cenſuramque *Sanctarelli*, quam repetiit ac renovavit, ad verbum ſequuta, doctrinam hanc quæ poteſtatem ligandi & ſolvendi interpretatur de utraque poteſtate ſpirituali & temporali, improbavit & damnavit *tanquam novam, falſam, erroneam, verbo Dei contrariam, Pontificiæ dignitati odium conciliantem, ſchiſmati occaſionem præbentem, ſupremæ Regum auctoritati à Deo ſolo dependenti derogantem, Principum infidelium &*

hæreticorum converſionem impedientem, pacis publicæ perturbativam, Regnorum, Statuum, Rerumque publicarum everſivam, ſubditos ab obedientia & ſubjectione avocantem, & ad factiones, rebelliones, ſeditiones, & Principum parricidia excitantem. Ipſum verò Fratrem Malagola qui doctrinam hanc in *Sanctarello* proſcriptam rurſus excitare molitus eſt, tanquam perjurum, ſeu infracti quod non ſemel ipſo in Facultatis aditu & in Actuum ſuorum celebratione præſtiterat Sacramenti reum, contumelioſum in regiam Majeſtatem, Facultatis & Decretorum ab illa ſancitorum perfidum contemptorem, è Baccalaureorum albo expunxit, eum nunquam poſtea numerari voluit inter ſuos, ejuſque nomen ubicumque legi poſſet ſuis in tabulis aut commentariis eradi juſſit; Cenſuram ipſius cum Cenſura *Sanctarelli* quam primum typis excudi publicique juris fieri mandavit. Datum in Sorbona die quarta Novembris an. 1682. in Comitiis ordinariis, lectum die Decembris prima, & poſt relationem Magiſtrorum ad Cenſuræ examen ſelectorum recognitum die ſeptima ejuſdem menſis.

De mandato DD. Decani & Magiſtrorum præfatæ Facultatis Sacræ Theologiæ Pariſienſis.

MEMM. TASSIN.

CENSURA
SACRÆ FACULTATIS THEOLOGIÆ PARISIENSIS,

Lata in librum qui inſcribitur : ANTONII SANCTARELLI *ex Societate Jeſu, Tractatus de Hæreſi, Schiſmate, Apoſtaſia, ſollicitatione in Sacramento Pœnitentiæ, & de poteſtate Summi Pontificis in his delictis puniendis. Ad Sereniſſimum Principem Mauritium Cardinalem à Sabaudia. Romæ apud hæredem Bartholomæi Zannetti 1625. Superiorum permiſſu.*

SI quis, *in nos fines ſæculorum deveniſſe*, ut loquitur Gentium Apoſtolus, fortè dubitet, poſtrema hæc tempora tantiſper expendat, eaque cum prioribus componat : is facilè deprehendet humani generis hoſtem in utraque politia & eccleſiaſtica & civili, nihil intentatum reliquiſſe, quominus utramque non tam labefactare, quàm omnino peſſundare videretur. Eccleſiam Chriſti ſponſam quà ſtylo, quà ferro conficere conati ſunt impii illi qui *poſuerunt in cælum os ſuum :* politiam illam civilem aliâ *Excerpta ad verbum ex Commentariis Facultatis.*

viâ ſunt aggreſſi dementati homines. Cùm enim *poteſtatem ſæculi* non ſine cauſa gladium portare viderent, libris nefandis, quaſi per clanculares inſidias, è medio tollendam exiſtimarunt. Hos S. Judas Epiſtolâ canonicâ non aliâ notâ nobis dignoſcendos proponit, quàm quia *Dominationem contemnant & Majeſtatem blaſphement.* Atque utinam de ſolo contemptu & maledica oratione ageretur; quin malè feriati ſcriptores id genus poteſtatis cujuſdam in Eccleſia temporalis prætextu, Reges, arbitrio & nutu Eccleſiaſtico, leviſſimis etiam de cauſis ac planè ridiculis, de ſolio deturbandos, alioſque vel annuos, vel etiam diarios, ſi ita libuerit, ſubſtituendos contendunt. Quod cùm in univerſæ civilis politiæ, ac potiſſimum Gallicæ Monarchiæ, ſub Chriſtianiſſimo, Clementiſſimo & Juſtiſſimo Rege noſtro Ludovico perniciem, everſionémque meditatum, confectumque videret Facultas Theologica Pariſienſis: ut Majorum veſtigiis inhærendo, ſuum erga pientiſſimum Regem noſtrum, iſtudque præſertim Chriſtianiſſimum Regnum, animum ſtudiumque declararet, bonorumque omnium votis ſatisfaceret, præ cæteris nuperum librum *Antonii Sanctarelli Jeſuitæ, de Hæreſi, Schiſmate, Apoſtaſia, &c.* à quibuſdam ſelectis Doctoribus examinandum cenſuit, in Congregatione generali extraordinaria decima-ſexta Martii immediatè præcedentis

habita. Sed quoniam multa in eo pertractantur, quæ ad rem quâ de potiſſimum agitur, minime ſpectarent, duo duntaxat capita 30. & 31. Tractatus de Hæreſi excutienda ſelegit.

Itaque anno Domini 1626. die prima Aprilis poſt Miſſam de S. Spiritu habitis ſolemni more & uſitatis Comitiis in Aula Collegii Sorbonæ, audita eſt relatio Magiſtrorum ab eadem Facultate ſelectorum, qui expoſuerunt in duobus illis capitibus iſtas propoſitiones contineri: *Summum Pontificem poſſe pœnis temporalibus punire Reges & Principes, eoſque deponere, & ſuis Regnis privare ob crimen hæreſis; eorumque ſubditos ab illorum obedientia liberare; eamque ſemper in Eccleſia fuiſſe conſuetudinem:* Et propter alias etiam cauſas; ut, *pro delictis: ſi expedit: ſi Principes ſint negligentes: propter inſufficientiam & inutilitatem ſuarum perſonarum.* Item, *Pontificem jus & poteſtatem habere in ſpiritualia ſimul & omnia temporalia: Et in eo eſſe de jure divino utramque poteſtatem, ſpiritalem & temporalem: Credendum eſſe, Eccleſiæ ſummoque ejus Paſtori conceſſam eſſe facultatem puniendi pœnis temporalibus* (PRINCIPES) *tranſgreſſores legum divinarum & humanarum, præſertim ſi crimen fuerit hæreſis.* Dixerunt etiam eundem Sanctarellum aſſerere, *Apoſtolos fuiſſe ſubjectos Principibus ſæcularibus de facto, non de jure*; Quinetiam, *ſtatim atque conſtituta eſt Pontificia Majeſtas, cœpiſſe omnes Principes eſſe illi ſubjectos.* Denique retulerunt

Matth. 16. eum explicare verba Chriſti, *Quodcumque ligaveris ſuper terram &c.* non tantùm de poteſtate ſpiritali, ſed etiam de temporali; ipſumque S. Paulo imponere, verba illius, detractâ negatione, immutando, & multis auctoribus ab ipſo citatis. Alia etiam multa ſimilia retulerunt, quæ ſibi videbantur gravi Facultatis animadverſione & cenſurâ digniſſima. Re itaque in deliberationem à D. Decano adductâ, auditis omnium & ſingulorum Magiſtrorum maturis deliberationibus: FACULTAS improbavit & damnavit doctrinam his propoſitionibus & horum capitum corollariis contentam, tanquam novam, falſam, erroneam, verbo Dei contrariam, Pontificiæ dignitati odium conciliantem, ſchiſmati occaſionem præbentem; ſupremæ Regum auctoritati à Deo ſolo dependenti derogantem, Principum infidelium & hæreticorum converſionem impedientem, pacis publicæ perturbativam, Regnorum, Statuum, Rerumque publicarum everſivam, ſubditos ab obedientiâ & ſubjectione avocantem, & ad factiones, rebelliones, ſeditiones & Principum parricidia excitantem. Datum in Sorbonâ die & anno præfatis, & recognitum die 4. Aprilis 1626.

(Poteſtatem) dedit nobis Dominus in ædificationem & non in deſtructionem. 2. ad Cor. 10.

De mandato DD. Decani & Magiſtrorum præfatæ Facultatis Sacræ Theologiæ Pariſienſis.

PH. BOUVOT.

Case Wing folio Z 144 .A1 v.2 no.53

THE NEWBERRY LIBRARY